



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1655**

§. 169. Ait illis præsesquid enim mali fecit? v. 23.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45515**

de ubi sedeas pro tribunali, ut iudex. Cur enim te praesidem statuerunt in Iudaea Romani? nisi ut cuique iustitiam administres. Cur igitur interrogas Iudaeos quid facere debeas? cum sit tui officii fontes punire, infontes dimittere, fac tuum officium, & dimitte, quem scis infontem, & per invidiam principum Iudaeorum tibi traditum, de quo ipse faretis, *te non invenire in eo causam mortis*. O si agnosceres Pilate, quis iste esset, quem dimittere conaris, certe non dimittere cuperes, sed domituae teneres tecum; quam felix tunc esses, quam felix domus tua & familia! Beatior esses ipsis Regibus Romanorum; ubi enim ille moratur, ibi omnis salus domus & familiae adest. Sed si omnino eum a te dimittere velis, da mihi, & ego accipiam illum cum gaudio in domum meam, ulnis meis amplectar, nec dimittam eum unquam, sed benedicet mihi ut arca manens in domo, Obeddom, & una progrediemur in vitam aeternam.

**V**eni ergo mi Iesu, veni de manu Pilati ad domum meam, licet plus quam publicani domus sit obnoxia: ut fiat ei salus hinc, & hodie & in sempiternum.

§. 168. *Dicunt omnes: crucifigatur. v. 22.*

Mirabile & deplorandum, quod nemo non clamaret ad petitionem Pilati, dicendo: *Crucifigatur*: quo clamore insigniter prodiderunt Iudaei suam malitiam, quae tanta erat, ut potius cuperent omnem iustitiam pessumdare & omnem in malitiam procedere, quam a sua malitia cessare, quid igitur mirum, quod omnes adhuc hodie malitiae suae poenam luant, ut sint quasi profugi, sine Rege, sine Lege, pulsi patria, ubique dispersi, sine proprietate aliqua terrae vel mundi, odio Deo & hominibus invisii.

**D**omine Iesu, an non etiam ego clamo, *crucifigatur*, quoties non evito occasiones peccandi? quinimo, ipso facto iudex sum, qui te condemno ad mortem crucis, sed & ipse carnifex sum; qui te crucifigo quoties pecco saltem graviter, quam igitur & ego mereor poenam? non tantum temporalem, sed & aeternam, ut dignus sim proici a te, & esse sine patre Deo & matre Ecclesia, quasi excommunicatus a Sacramentorum & precum fidelium participatione, odiosus Deo & hominibus, aeternaliter propelli a tuo paradiso & regno. Detestor ergo omnem culpam, cupio emendare quod factum est: A.A. Domine nescio plura loqui.

§. 169. *Ait illis praeses: quid enim mali fecit? v. 23.*

**C**um turbae quasi feræ, quæ spatiofam ambulat viam, clamarent *crucifigatur*, non statim acquievit Pilatus, sed iuxta suggestionem uxoris,

O 2

quæ

quæ mandaverat: *Nihil tibi & iusto illi*, interrogat causam à circumstantibus & clamantibus, cur ipsum crucifigere deberet, quasi diceret; promite crimen dignum patibulo, & ego faciam officium meum alias insolentem, & non convictam de crimine, damnare non possum.

**P**erge Pilate, perge animose defendere iustum ex lege naturæ, si legem Dei & Moylis ignoras, contra Legis Mosaicæ Doctores, & scribas Deus iustus remunerabitur iustitiam tuam. Tu autem, iustus es Domine & iustitiam diligis semper, propterea, qui tibi servire volunt, inter prima præcepta discunt reddere cuique quod suum est, *cui honorem honorem & cui amorem amorem*, scientes nisi hoc faciant non posse placere tibi, atque ita studiosissime curant, *Neminem ledere*, sed per omnia satisfacere dilectissimis proximis suis. Et ego cupio tibi servire toto animi mei desiderio, propterea flecto genua cordis mei ante te petens amorem iustitiæ, ut quando Rex iustitiæ exurges in iudicium, *propter miseriam inopum & gemitum pauperum* ego inveniat læsisse neminem vel gravasse.

§. 170. *At illi magis clamabant: crucifigatur. v. 23.*

Quanta furia? iniquitas quam maligna responsio? interrogat præter causam traditionis Christi, & ad mortem damnationis, & Iudæi aliam non dant, quam, *Crucifigatur*. Re vera agunt, quasi essent amentes, sine sensu, sine ratione, sine iudicio, sine iustitia, sine lege, sine Deo, & quasi dicerent cum Luthero: *sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas. Crucifigatur*. Hinc apparet Iudæos nullam habuisse causam, qua possent postulare Christum ad mortem, sicut nec ullam ex omnibus à principibus Sacerdotum allegatis potuit Iudex invenire sufficientem & quidem Iudex doctus, prudens, versatus in Iure & praxi. Causam autem mortis Christi scire vis. Invidia est, avaritia est, ambitio est & mala vita, quam in eis reprehendebat sæpe Christus. Invidia non quiescit, donec in eo, quem odit, videat miserabilem fortunam.

**I**nvidia diaboli, inimici tui, Domine, mors intravit in orbem terrarum, & ipsa quoque invidia humana, quæ merito dicitur abominabilis putredos ossium. Hinc filii Adam serpentis consilia secuti invident alii aliis, & contristantur, si videant alios ditiores, nobiliores, aut gloriosiores se: quod experientia ostensum est in passione tua, mitissime Redemptor, nam & Pilatus vir non parum oculatus, animadvertit, quod per invidiam tradidissent te ad mortem cives Hierusalem, inimici tui, non volentes tolerare famam & clarissima miracula tua. Verum infirmitas hæc, Domine, non gravat solos peccatores, qui sunt extra gratiam tuam, sed quandoque iustos, qui quamvis non consentiant peccato invidiæ, tentantur tamen aliquantulum, si videant alios